Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35536
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

minum Deum ipsorum. Et ipse præ-
cedet ante illum in spiritu & vir-
tute Eliæ: ut convertat corda
patrum in filios, & incredulos ad
prudentiam iustorum, parare Do-
mino plebem perfectam.

IIII.

EVANGELIUM.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum
Spiritu tuo.

Initium sancti Evangelij secun-
dum Ioannem.

IN principio erat verbum: & ver-
bum erat apud Deum: & Deus
erat verbum. Hoc erat in principio
apud Deum. Omnia per ipsum facta
sunt: & sine ipso factum est nihil.
Quod factum est, in ipso vita erat:
& vita erat lux hominum: & lux in
tenebris lucet, & tenebræ eam non
comprehenderunt. Fuit homo mis-
sus à Deo, cui nomen erat Ioannes.